



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob

Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079

Ca. XXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

CA. XXXVI.

Addens Elihu, dixit.
 Sustine me paululū, & indicabo tibi
 quoniā adhuc pro Deo nomen (habebō)

Repetam scientiā meam a lōginquo
 & creatorem meum probabo iustum

Etenim uerus, absq; mēdacio, sermo
 meus est, perfecta scientia (mea) corā te

Ecce Deus potentem non abiicit, po-
 tens robore cordis.

Non uiuificat impium, sed iudicium
 pauperibus dat.

Non subtrahit a iusto oculos suos, & re-
 ges a folio, & sedere facit eos in æternum
 ut eleuentur.

E si uincti fuerint, in cathenis (&) con-
 prehendantur in funiculis miseriæ.

Tunc adnunciat eis opera eorum, &
 impietates eorū, quod tyrannos egerint.

Et reuelat aures eorum, ut erudiantur
 & dicit ut reuertantur ab iniquitate.

Si audierint & seruierint, iuuetera-
 scēt dies eorū in bono, & anni eorū in iocunditate.

Et si

Et si non audierint, per gladium tran-
sibunt, ac peribunt inopinato.

SUSTINE ME PAVLVLM

Nondum pro sua dignitate, inquit Elibu, iustitiam
Dei declaravi: proinde altius repetam, ac è longin-
quo, hoc est, ab operibus Dei, ut comprobem Deum
iustum esse, uera loquar, non ero mendax, nec sermo
meus coram te reprehensibilis erit: suffer igitur adhuc
pauisper sermonem meum, donec iustitiam Dei uindi-
cauero, recensebo enim, potentia & magnifica eius
opera, è quibus unicuique cognobile fiat, Deum quàm lon-
gissime ab iniustitia abesse.

ECCE DEVS POTENTEM &c.

Vbi nos potentem habemus, Hebraei habent כביר
id est fortè, grandem, Græcus interpretatur ὀκτανον
id est innocentem, & habet hanc sententiam: quando
Deus sit innocens, iustus, magnus, & potens, robore
fortitudinis suæ, igitur non abiicit nec spernit innocen-
tes, & iustitiæ nomine, præclaros: impiū quidem abo-
minatur, nemo uero unquam dixerit, primum à Domino
sperni, qui enim posset spernere sibi cognatū, aut si-
mile? nam ut est in cōmuni Prouerbio, pares cū paria-
bus, facillime congregantur, ita nunquā contingit, ut Do-
minus sibi parem pietate, innocentia, & id genus bo-
nis, abominetur. In lege dicitur Deus ignis consumens
propterea, quod uniuersa sibi dissimilia deuorat. ac cō-

ANNOT. IN HIOB

sumat, igitur sibi similita, maxime complectitur, tam
tum abest, ut ea consumat.

NON VIVIFICAT IMPIVM &c.

Impius à Domino maledicitur, sed pius afflicto,
oppressus, & pauper adiuuatur, modo manū Domini
patienter ferat, & expectet. Sic & diua urgo ca-
nit: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit in-
nes. Est enim Deus, adiutor in necessitatibus: prom-
conuiet ad piorum afflictiones, donec in extrema
necessitatem uenerint, ut ex desperatis periculis libe-
rando, gloriā suæ liberationis celebriorem reddat, sic
enim ad Paulum Dominus ait: uirtus mea in infirmi-
tate perficitur. Igitur tu Hiob, falso aducas Deū quod
te quamuis piū, afflictū tamen & pauperem, suo
auxilio destituit: si enim pius fueris, non derelinquet
te Dominus, ut maxime conijciat in crucem, & extre-
mas calamitates: quomodo enim à iusto oculos suos
auerteret, cum sit promissionibus, adeoq; iuramento,
iustis fidelibus addictus?

ET REGES A SOLIO &c.

Accedit aliud opus, quod Dei iustitiam declarat:
nam Dominus, reges iustos & Principes, in lege Do-
mini ambulantes, non deijcit è solio regio, sed firma-
regnum eorum de progenie in progeniem, eleuat
eos maiestate, potentia, & gloriæ celebritate, ut ha-
bes de Dauide 2. Samuel. 7. Fidelis erit domus tua, &
regnum

Iusti Reges
prosperantur
eternum.

regnum tuum usq; in eternum, Ante faciem meam,
 & thronus tuus erit firmus iugiter. Similiter de Iehu
 4. Regum. 10. Dixit Dominus ad Iehu, quia studiose
 egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis,
 & omnia quae erant in corde meo fecisti, contra domum
 Achab, filij tui, usq; ad quartam generationem se
 debunt super thronum Israel. Contra impios reges et
 inustos Principes Dominus è solio regni deijcit, ut
 in captiuitatem ducantur, & in uincula miserabiliter
 conijciantur, in quibus reuelat aures, aperiens eis sua
 ipsorum scelera, ac in subditos tyrannidem, & quos
 antea nulla lege, nulla admonitione, nullis promissis,
 potuit erudire, & ab iniquitate auertere, eos postea
 erudit unculis & captiuitate: huius gnomæ exemplum
 habes, in Manasse Rege impiissimo, & Sedekia.

Impij Reges
 adfliguntur.

SI AVDIERINT ET SERVIERINT.

Si Reges aut Principes, nō ut in libertate sic in ca-
 ptiuitate & unculis, eruditionem Domini contem-
 pserint, sed potius recta monenti & per crucem casti-
 ganti obtemperauerint, resipiscentes à scelere suo,
 tunc propitium habebunt Dominum, qui ignoscet quae-
 cumq; ante facinora designata fuerint, & inuetera-
 scunt dies eorum in bono, & anni eorum in iocundita-
 te, hoc est, Dominus eius benedicit, ut nō tam diu q̄
 iocunde uiuant: huius rei exemplar, similiter in Ma-
 nasse habes, qui compedibus unctus, & in Babylonē

A N N O T . I N H I O B

ductus, postquam coangustatus est, oravit Dominum
Deum suum, & egit poenitentiam coram Deo pat-
suorum: exaudiuit q; Dominus orationem eius, & re-
duxit eum in Hierusalē in Regnum suū 2. Chron. 35.

Quod si uero nec in cruce resipiscant, qualis pro-
pmodum est mos impiorum, qui quo plus à Domini
percutiuntur, eo longius ab ipso recedunt, quid super-
est, nisi ut gladio occidantur, & inopinato pereant
ut Pharaō, qui nullis minis, nulla afflictione ad obsequi-
um Dei flecti potuit, sed subinde induratio fieri
proinde tandem aqua obrutus, ad sempiternum inter-
ritum descendit.

Si hypocritæ cordis disperdantur ira,
non clamant, quoniam uincti sunt.

Moritur in tempestate anima eorum
& uita eorum inter fornicarios.

Liberat pauperem in miseria sua, & re-
uelat in afflictione aures eorum,

Atq; etiam eripiet te ab ore angustia-
lato, sub quo nullum est fundamentū, &
requiescet mēsa tua impleta pinguedine.

Tu uero causam impii implex, causa
& iudicium (impii) sustentantur (a te)

Quoniam ira forte incitauit te, in cō-
cussione, & multitudo munerum (seu uil-
larū) declinare te fecit.

Nun-

Nunquid constabit potētia tua nulla
tribulatione, & oīa robora fortitudinis.

Ne postules noctem ut extermines
populos in ea.

Custodi ne uertaris ad iniquitatē, quo
niam elcgisti eam præ miseria.

SI HYPOCRITAE CORDIS DISPER-
DANTVR. Vt in regibus, ita & in Hypocritis de
us suum iudicium declarat, hypocritæ enim in prospe-
ris solum confidunt. Nam imaginantes è cultis-
bus sacrificijs, ac nugis à sese conceptis, sibi propiciū

Deum, tantisper constant, dum imaginatio eorū con-
stat: at ea non diutius durat, quàm prospere: itaq; in
aduersis, cum uincti fuerint, & calamitatibus obru-
ti, ut derelinquūt à Deo, falsa opinione imaginato,

ita desperant, & clamare ad Deum nec sciunt, nec au-
dent, quem enim adclamarent, cum nullum iam De-
um sibi reliquū sentiant? Sic iudæi uerbū Prophetarū

abominantes, Aegypto tanquā Deo confidebat: sic
& Sedekias, contempto Verbo, in templum, & car-
nales cultus, tanquam in Deum sperabat, sed iudicio

reuelato, & deuastatione ob oculos posita, nō potue-
runt uera fide, eum inuocare, cuius Verbum antea cō-
tempserant. Hypocritas igitur, ore Deū confitentes,

ceterum corde contemnentes, nec agnoscentes se uin-
cula meritos, nihil manet nisi desperatio, & turpis

Hypocritarū
iudiciū confu-
sio.

A N N O T. I N H I O B

confusio: quod hoc loco dicitur, uita eorum inter fornicarios erit, hoc est, hypocrisis peribit turpiter.

LIBERAT PAUPEREM. Aliud iudicium, quo iudicium dei manifestum fit, liberat enim Dominus pauperem de afflictione, & aperit aures eius, hoc est, consolatur eum in afflictione. & eripit eum ab angustia, à perditione, & inferno, ubi summa est profunditas, & nullum fundamentum, qui enim semel in infernum cadit, subinde magis atque magis decedit, nullum unquam fundamentum attingens: ab hoc periculo liberat Dominus pauperem afflictum, & ex fide sese inuocantem.

ATQVE ETIAM ERIPET.

Vt Dominus pauperes liberat, ita & teipsum liberabit ab inferno & abysso perditionis, modo patienter manum eius sustineas, et in fide eum inuocaueris: requiescet quoque mensa tua pinguedinis plena, hoc est impleberis omnibus Dei bonis, produces uitam tuam gaudio Spiritus sancti, & pace conscientie, & abundabit mensa tua benedictione diuina.

TU VERO CAUSAM IMPII &c.

Ex his modo recensitis, manifestum est, coram Deo esse iudicium, tu uero Hiob Deum blasphemans, quod non iusta iudicet, impiorum calumniam implet, ac iustificas, & causam, iudiciumque eorum, uera ac iusta, Deum uero iniustum esse pronuncias. Solent enim impij falsum Deum aduersare iniustitie, si quando pro coram

In iustis iniustitia uidentur iudicia Dei.

libidine nō iudicet, neq; unquam eis diuinam iudiciū
 placet: ait, negant: negat, aiunt: proinde, quū tu Hiob,
 nunc in hac afflictione qua adfectus es, Deum iniu-
 sticie adcules, sententiam impiorum confirmas, &
 opinionem de Deo impiam, tuo calculo comprobas
 ac suffulcis. Potest & hæc esse sentētia, ideo tu Hiob
 blasphemias, quia maledictiones & iudicia impiorū
 sustines, & tanquam impius adfugeris: proinde, cura
 ut patēti animo, manū Domini seras, & liberaberis.

QVONIAM IRA FORTE INCITA-

VIT. Quando igitur impiorum sententiam, tua
 blasphemia comprobas, uide quæso, ne te huc impule-
 rit magnitudo iræ, hoc est, afflictiois, & doloris, quæ
 sustines: excute te ipsum, ne tribulationum grauitas,
 qua concuteris, in has blasphemias te incitauerit, aut
 ne forte multitudo uillarum, hoc est, ingens amissarū
 opum dolor, quibus & multis & preciosis spoliatus
 es (fuerunt enim uillæ ueterum opes & diuitiæ) te à
 pietate & patientia in blasphemias & impatientiam
 comecerint: sunt enim diuitiæ spinæ, quibus facile ma-
 num ledas: et ut Apostolus inquit, diuites huius secu-
 li incidunt in laqueum & tentationes Satanae: itaq;
 noli Hiob Deum iniusticie adculare, sed uide potius,
 ne tu paulo infidelius et seruius diuitias tractaueris,
 ut propter earū amissionem, nunc in Deum blasphemias,
 qui enim animum suum, prorsum ab opibus

Diuitie spinæ
 ne & laquei

abdicarunt, & sic utuntur, ac si non possiderent, non
solent ob earum amissionem, tanta animi indignatione,
in Deum debacchari. Hæc autem Helihu parænesis, uel
de pietate est, ne utiquam contemnenda, nam quantumcumque
pius fueris, si manu Domini destituaris, non potest fieri
ut graue damnum, grato animo feras, fuit enim et
Hiobi, præsentem adhuc Dominum, non difficile opes suas
latronibus relinquere: postquam uere Dominus manum suam
subduxisset, nihil est, quod patienter tolerare poterit.

NUNQUID CONSTABIT POTENTIA

Nulla felicitas sine calamitate.

Nulla contingit in rebus humanis felicitas, citra
calamitatem: nullum priuilegium citra incommodum:
& unaqueque huius mundi prosperitas, suam crucem
habet adnexam: falso itaque Hiob existimasti, tuam po-
tentiam & diuitias, tibi æternum duraturas fuisse, nulla
admixta tribulatione: gratum erat quondam quod po-
tens, quod diues, & magnificus incedebas: gratum
item nunc sit, quod Dominus priorem felicitatem cruce
obduxerit, & ad afflictionem condierit. Porro si per-
curramus omnia terrenorum honorum genera, nullum
reperitur sine suo malo: diuitie comitem habent curam
& solitudinem: maiestas regia, insidiarum timorem,
& molestie carnificinam: uoluptas, tristitiam: uerte
te quocumque uolueris, nihil syncerum, & à sua cruce
alienum, nisi in futuro seculo inuenies. Stultus igitur
es Hiob, qui putasti te, opes tuas & maiestatem pos-
sessorum

sessurum, usq; ad ultimum uitæ exitum, citra mole-
stiam & anxietudinem.

NE POSTULES NOCTEM.

Id est, Noli impie agere: uidetur enim mihi hic uersus
periphrasi quadam describere impietatem. Nam ut la-
trones ad iugulandos homines noctu surgentes, impie
agunt: ita qui Deū in aduersis blasphemant, & impa-
tenter eius manū ferunt, impie agunt: proinde, inq̄t
Elihu, ne postules Hiob, noctem sicut latrones solent,
hoc est, ne sis impius, sed ab impietate recede, ut cla-
rius sequitur, custodi, hoc est, cura ne ad iniquitatem
uertaris, nam huc uidetur te nunc miseria atq; dolor
impulisse, ut non nisi blasphemias ex ore tuo spires,
cōpesse potius crucē, quæ est iustitiæ uia, et pietatis in-
strumentū, impijs quidē crux, impietatis est occasio:
pijs uero cognitiōis Dei, & gratiarū actiōis officina.

Ecce Deus excelsus est in fortitudine
sua, quis est legislator sicut ipse?

Quis uisitat super eū uias eius? & quis
dicit, facies iniquitatem?

Memēto quod ignores opus eius, quæ
admodum cecinerant uiri.

Omnis homo uidet eum, unusquisq;
aspicit eum de longe.

Ecce Deus magnus & incognoscibilis.

A N N O T . I N H I O B

numerus annorum eius est imperuestigabilis.

Quoniam diminuit guttas aquæ, distillat pluuiam ad nubem suam.

Vt fluant nubes, & stillent super homines multos.

Quod si decreuerit dispersiones nubium, ablationes tegumenti eius.

Ecce expandit super ea lumen suum, & radices maris tegit (lumine.)

Quoniã per illa iudicat populos, dat cibum multipliciter.

Manibus tegit lumẽ, & præcipit ei ut rursus occurrat.

Adnunciat de eo amicus eius, & qui ab eo possidet (annunciat) etiã de excello.

ECCE DEVS EXCELSVS EST.

An adhuc quispiam cõqueritur de iniusticia Dei, et quod nullum coram Deo sit iudicium: at quomodo potest is esse iniustus, qui non tam fortitadine sua, magnus, quàm æquus legislator est, & omnis iniusticia absolutissimum exemplar, si enim lex Domini sancta & immaculata est, quomodo non & legislator sanctus & immaculatus esset? quis igitur ille est qui Deum iniquitatis adcusat? & opera eius calumniatur?

Qui

Qui dicere audet ad Deum, impie facis: tu enim homo, ut Paulus inquit, quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit, cur me finxisti ad hunc modum.

MEMENTO QVOD IGNORES.

Etiam si uideatur nunc Deus, te iniuste adfligere, non tamen audes eum iniquitatis adensare, quia opera Dei, non sic cognobilia sunt, ut obuia: uidemus quidem & sentimus opera eius, at nondum sapientiam & iustitiam operum intelligimus, id quod & prudentes uiri, olim ueluti gnoma quadam, & communi sententia iactarunt, dicentes: omnis homo aspicit & uidet Deum de longe, non prope, habitat enim Deus in caligine & nebula, & opera eius abscondita sunt: proinde nemo potest Deum, nisi ex longinquo (id est, per fidem) aspicere, nec possunt opera eius intelligi, nisi postremo & nouissime. En adcipe tibi passionem Christi que est opus Dei, sed ita absconditum, ut prima facie, non nisi perditio uisa fuerit: in nouissimo igitur hoc est, in resurrectione, clarissime adparuit, passionem non aliud fuisse, quam resurrectionis meditatorum, & ascensionis officinam: proinde, si te Hiob, Dominus adfluxerit, & auxilium suum distulerit, noli propterea iniustitie eum adcusare, sed crede, expecta, & adparebit, uel tandem. Pro ignores, Hebræus habet **אין**, cuius radix ignorare, & exaltare

ANNOT. IN HIOB

significat, ambo aut hęc significata, clariorē reddunt
huius uersus sententiam. Ideo enim opera Dei igno-
rat captus humanus, quia exaltata et magnifica sunt

ECC DEVS MAGNVS. Tu ne Deum
prope uideres, aut ratione comprehenderes, qui est
maximus omnium, & numerus annorum eius imperue-
gabilis: hoc est, æternus et perpetuus: æternitas uero
nulla ratione comprehendēdi potest, ita & Paulus ait: o
profunditatem diuitiarum & scientiæ cognitionis Dei,
quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestiga-
biles uie eius. Porro hanc immensam Dei imperuesti-
gabilitatem, utcumq; opera eius declarant, sed ita, ut
partim ea, ueluti per transfennam ostendatur, partim
abscondatur. Ostendit enim Deus operibus se aliquā-
tinm esse, sed quantus sit, rursus operibus inuoluit,

QVONIAM DIMINUIT GUTTAS.

Et pluuia cognoscitur utcumq; Dei maiestas. Dimi-
nuere enim aquæ guttas, hoc loco, est pluiam facere,
re, id quod Deus mirabiliter operatur. Primum enim
aqua, hoc est, humida & aliàs propter uapores fumida
caligo, exhalat è terra in aërem, in sublime: deinde
de in nubem cogitur, & distillatur: postremo effun-
ditur aqua in nubem coacta, super terram & super
homines, Pal. 146. Operit coelum nubibus, & parat
terre pluiam.

**QAOD SI DECREVERIT DISPER-
SIONES**

STIONES. Post pluuiam, adducit Dominus serenitatem, quæ & ipsa mirabiliter fit, hoc ordine: primum dispergit Deus nubem uento, & aufert eas ne obducant, & abscondant cœlum (sunt enim nubes cœli tegumentum) dein expandit lumen solis super uniuersum orbem, terram & mare, è quo potissimum per exhalationes generantur nubes, unde mare hoc loco nubium radix dicitur.

QUONIAM PER ILLA IUDICAT.

Per illa, id est, pluuiam & serenitatem, seu siccitatem benedicturus enim Dominus populum suum, dat pluuiam matutinam & serotinam, ut habeant uaria ciborum genera: maledicturus uero, facit cœlum æneum, ne pluat: & terram ferream, ne frumenta producat, ut homines fame pereant, Deut. 28. Leuit. 26.

MANIBVS TEGIT LUMEN.

Id est, utcumq; Deo placuerit ita operatur, nunc enim obducit cœlum nubibus, ut quodammodo manu sua uideatur splendorem tegere: nunc rursus precipit soli, ut expandat lumen suum, & splendore suo nos illuminet. Sed quis tam mirabilia Dei opera agnoscit, & de eis prudenter differere potest? Addit Elihu dicēs,

ADVNCIAT DE EO AMICVS.

Amicus Dei est, qui credit, proinde, solus fidelis. Fidei homo agnoscit mirabilia Dei opera, & de eis artificiose discernere potest. Solus quoq; is, qui per fidem Dei seruus opera Dei.

A N N O T . I N - H I O B

Et possessio factus est . intelligit excelsum Deum,
excelsa ac mirabilia eius opera . Impius autem non
Deum nec opera Dei intelligit , quia non credit
Verbum eius.

C A . X X X V I I

E Tenim propter hoc expauit cor me-
um, & exiliit de loco suo.

Audite terrorē uocis eius, & murmur
quod ab ore eius egreditur.

Subtus omnes cœlos ille aspicit, & lu-
men eius super terminos terræ

Post eum rugit sonitus, tumultuat uo-
ce magnitudinis suæ, & nemo retinebit
ea, cum audita fuerit uox eius.

Tonat Deus uoce sua mirabiliter, fa-
cit magna & inscrutabilia.

Si ad niuem dixerit, tunc est (super)
terram, & hymbri pluuiali, tūc hymbes
Pluuiarum fortitudine sua (adest)

Opere cuiusq; hominis signatur, ut
agnoscant omnes uiri, opus eius.

Ingreditur bestia in latebras, & in ha-
bitaculis suis habitat.

A commotio